REGIÆ NAVARRÆ,

Cùm V. C. D. JOANNES-ANTONIUS NOLET, è Regiâ Scientiarum Acad. *PHYSICES EXPERIMENTALIS* Professor à REGE institutus, Lectiones suas Oratione solemni auspicaretur die decimâ-quintâ mensis Maii, anno Dom. 1753, in Aulâ Majore Collegii,

HENDECASYLLABI.

SPLENDOR ergò tibi tuus resurgit,
Rugas exue nunc, NAVARRA, tristes,
Justos indue nunc, NAVARRA, fastus.
Tunc ægro decuit jacere vultu
Quando victima facta edacis ævi
Quo pulcherrima quæque devorantur,
Fatiscens senio, tuis latebas
Eheu! semisepulta sub ruinis;
Atque hæc curricula, in quibus solebat
Augustâ leviter salire plantâ
Thronum scandere destinata proles,
Sensim inutilis occupabat herba.
At nunc quidquid erat decoris olim,
At nunc quidquid erat nitoris olim,
Illud omne redit renascitur que.
Quæ tantam tibi tam repentè lucem,
Quæ tantos tibi tam repentè honores

Adjecere manus? novus ne blandis
Auritos lapides amat ciere
Amphion numeris? vel in palæſtram
Apollo egregiè pius ruentem
Notas ſeſe hodiè refert ad artes,
Atque ipſis digitis, quibus canoram
Impellens cytharam, valet leonum
Iras flectere, fluminum morari
Curſus præcipites, ſilentiumque
Reluctantibus imperare ventis,
Muros ædificat novatque tecta?
Sed quantùmlibet indè ovare fas ſit,
Adeſt lætitiæ tamen, NAVARRA,
Major cauſa tibi. Quis hoſpes ille
Atriis ſubitò tuis refulſit?
Proh! quem ſe ore gerens, quibuſque tollit
(Sunt Parnaſſo etenim ſui triumphi)
Altè conſpicuum caput triumphis!
Naturæ haud penetrabiles receſſus
Mentis Dædaleo ſubire filo,
Duriſque Experientiæ rebellem
Tormentis domitare, & evolutis,
Quibus nubila deliteſcit, umbris,
Apertam mediâ explicare luce,
Hoc tibi proprium decus, NOLETE.
Tum ſi monſtra, modis ſtupenda miris,
Fortè occurrere viſa; tu latentes
Expromis, celer invenire, cauſas.
Et nunc aureolo doces libello,
Quem dictaſſe videtur ipſe Phœbus,
Scripſiſſe & veneres videntur ipſæ,
Undè corporeis refuſa venis

Tinnulo exiliat ſonore in auras
Crebro flammula ſuſcitata frictu;
Cur per aëra phoſphori volantes
Olim credula corda territarent;
Cur-ve, prodigio inſolentiori,
Nuper fulmineum, pari vapore,
Cuſpis ferrea traxerit vaporem:
Nec nullo hos ſale defricas facetus,
Illum quo polus ipſe contremiſcit,
Quem vel tartarei horruere manes,
Et quo terra ſuo movetur axe,
Irati rapidum tonantis ignem
Qui ſe eludere poſſe jactitarent,
Qui ſe infringere poſſe jactitarent,
Si vel enſiculum manu rotantes
Minanti fuerint minati & ipſi;
Aut ſi, non animos juvante ferro,
Opportuna ſinum procella pandens
Stillato uvidulos rigarit imbre.
Hinc à Sequanicis, NOLETE, ripis,
Lenis temperies amica cœli
Quas ſemper beat, ultimos ad Indos,
Curru quos propiore ſol adurit,
Gallici decus ingenî tuliſti,
Gallici decus imperî tuliſti:
Nec toto ſinus ullus eſt in orbe,
Quò non noſtra, tuam ſecuta famam,
Fama præpetibus volarit alis.
Ergò pectore quas opes recondis
Palàm mellifluâ reclude linguâ:
Votis hoc cupidis repoſcit à te
Quidquid eſt hominum peritiorum,

Quidquid eſt hominum eruditiorum.
Proh ! quam denſa latus corona cinget !
Non tot diſcipulis fuere ſepti
Aut Ariſtoteles, Platove, famâ
Diis quanquàm ſimiles, nec ipſe tantâ
Virûm oracula ſacra ſciſcitantûm
Vates Delphicus affluebat undâ.
O quot & tibi mox, NAVARRA, talem
Fauſto quæ foveas ſinu Magiſtrum,
Turmæ provenient ! Quot ipſa latis
Fluctus accipies vomeſque portis !
At tibi excidat exoleta numquam
Tanti gratia muneris; ſed author
Ipſius tibi qui fuit, NAVARRA,
Sub corde inſideat repoſtus alto
Æternùm LODOICUS. Ille vultu
Quo belli horribiles fugat procellas,
Quo pacem populis reducit almam,
Quo lætos populis dies reducit,
Dies murice ſericoque textos,
Te reſpexit amicus. O ! quid illo
Non ſperare tibi jubet favore,
Rex, cui data ſors videtur eſſe,
Ut Muſas faciat beatiores,
Europam ut faciat beatiorem;
Quique tam redamat ſuos, amatus
Illis, ut dubio locus ſit, utrùm
Vincatur populorum amore Princeps,
An Princeps populos amore vincat !

PETRUS-CLAUDIUS MALVAUX, Acolythus Remenſis, è REGIA NAVARRA.

Typis mandetur, die 11 *Maii anno* 1753; FOURNEAU, *Rector.*

Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS, nec-non Academiæ Pariſienſis Typographi.